

## COMPOSITIONES VI–XIII

fuerit, per pinnam aut calatum scriptorium naribus sufflentur vel specillo. tincto in aquam et excusso tacta naribus inicianter. proritat sternutamentum etiam per se contusum et eadem ratione iniectum veratrum album. linguam enim nigram, siccam et aridam sternutatio statim inundat.

5 XI. Capitis dolorem quamvis veterem et intolerabilem protinus tollit et in perpetuum remediat torpedo nigra viva imposita eo loco, qui in dolore est, donec desinat dolor et obstupescat ea pars. quod cum primum senserit, removeatur remedium, ne sensus auferatur eius partis. plures autem parandae sunt torpedines eius generis, quia nonnumquam vix ad 10 duas tresve respondet curatio, id est torpor, quod signum est remediationis.

### Ad comitialem morbum

XII. Ad comitialem morbum, quem Graeci epilepsiam vocant, herbam, quam iidem †oximidam †, nos nervalem appellamus, oportet ieunum 15 quam plurimam viridem comesse a prima luna ad tricesimam. haec eadem herba ebrio data copiosa in crapula vinum discutit mentemque restituit.

XIII. Item hinnulei cervi coagulum intra novem dies exceptum bene facit ad comitialem morbum. intellegitur autem dierum numerus ex eo, quod iacent aures hinnuleorum primis temporibus, a nono die subriguntur. oportet ergo sumere tunc coagulum et arefacere, quo neque sol neque lunä accedit, atque inde dare pueris quidem viae magnitudinis globulum ex aquae calidae cyathis duobus, maioribus fabae solidae magnitudine ex aquae calidae cyathis tribus per dies triginta. dentur autem aquae purae supra medicamentum eyathi duo aut tres. hoc remedium qui monstravit, dixit ad rem pertinere occidi hinnuleum tinctorio, quo gladiator iugulatus sit.